

ADNOTATIONES AD VIRGILII CIRIN.

SCRIPSIT

GUILLELMUS PÜTZ,

GYMNASII COLONIENSIS CATHOLICI COLLEGA SUP. ORD.



UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF



Quum iterum annalibus, quales a scholis nostris litterariis quotannis edi solent, disputatiunculam quandam, latino sermone conscriptam praemittendi munus ad me delatum viderem: extra eos, quos adhuc opera mea qualiscunque sibi constituisset, scribendi fines egrediendum atque quaestiones philologicas, in quas olim omne fere studium meum contuleram, aliquamdiu intermissas, revocandas esse putavi. Circumspicienti autem mihi argumentum, quod quum satis amplam disputandi copiam suppeditaret, intra artos tamen huius libelli fines contineretur, ad hoc Virgilii, ut ferunt, carmen redeundum videbatur, in quo explicando atque emendando iam ante hos undeviginti annos operam posueram. Quamquam enim carmen illud, innumeris librorum mendis inquinatum multisque interpretum quum veterum tum recentiorum erroribus depravatum, nostra aetate a Silligio, viro doctissimo, novis subsidiis criticis adhibitis, accuratius quam antea pertractatum est: eximia tamen, quae de hac editione concitata fuerat, exspectatio magnam partem destituta est, quum duorum codicum Vratislaviae¹⁾ nuper inventorum, quos Silligius primus in usum suum convertit, alter (Rehdigeranus) manifestas codicis Helmstadiensis corruptelas multis locis repetat, alter, olim in bibliotheca ad S. Adalbertum asservatus, ne dimidiam quidem carminis partem contineat, neque recens ille editor sine audacia, ne dicam temeritate quadam in verborum contextu constituendo versatus sit. Quare miror, novissimum Virgilii editorem, Forbigerum dico, Silligii auctoritati tantum tribuisse, ut eius „recensionem“, quam ipse in adnotationibus non semel improbavit, ad verbum descriptam repetierit. Facile igitur mihi persuasi, per-

1) Silligii exemplum secutus codicum illorum alterum littera R, alterum littera A in contextu significavi.

multa etiam nunc in Ciri restare corrigenda, idque maxime antiquioribus libris collatis fieri posse. Quo consilio, quum primum Parisiis versarer, suadente Niebuhrio, praeceptore optime de me merito, adii copiosissimam illam bibliothecam regiam, cuius praefectus, *Haasius* noster, insigni liberalitate quaerenti mihi omnes Virgillii codices, quotquot carmina minora continent, inspiciendos obtulit. Sed spes omnino me fefellit. Nam praeter illos, quos Silligius ante me inspexerat, Culicis, Copae et Moreti libros, duos, qui Diras continent (No. 7927 et 8093), et plures suppositiciorum carminum codices reperi,¹⁾ Ciris autem ne vestigium quidem detegere potui. Neque feliciore eventu in reliquis, quas in Germania terrisque vicinis suscepi, peregrinationibus novos Ciris libros indagavi. Unum, quod mihi in manibus erat, novum subsidium, est accuratissima, quam Naekius sibi paraverat, codicis Basileensis collatio, nunc Bonnae in Bibliotheca Academiae Rhenanae asservata. Sed quantum auxilii inde exspectari potuerit, intelliges, si memineris apud Silligium legi, codicem Basileensem ad exemplum editionis principis esse descriptum! Neque ego nova, quam adhibita illa Naekii collatione institui, utriusque subsidii comparatione ullam alicuius momenti discrepantiam inveni. Quam ob rem quum omnis mea opera in locis difficilioribus aut mera coniectura emendandis, aut, quod saepius periclitatus sum, probabiliore modo explicandis versetur: tantum abest, ut me sine ullo novo adiumento omnia absolvere potuisse putem, ut multa non nisi pluribus iisdemque antiquioribus codicibus inventis certo constitutum iri mihi persuaserim.

1) Cave, ne Silligium, ubi de codicum a se comparatorum copia sibi gratulatur (praefat. VI.), ad Cirin potissimum respicientem ita intelligas, ut Parisiis huius quoque carminis libros nactus sit, quippe quorum nulla neque in adnotatione critica, neque in subsidiiorum recensione (p. 158) mentio fit.

Iam primis exordii versibus locus continetur longe difficillimus, in quo explicando ac restituendo omnes interpretes inde a Josepho Scaligero non minus laboris et sudoris impenderunt, quam poeta ipse in prooemio hoc per centum versus deducendo se consumsisse ingenue fatetur (v. 46).

V. 1. vulgatam scripturam *vario* Mitscherlichius (lect. in Catullum p. 78) et Graserus (in Progr. Gubenensi, anni 1835, p. VIII) contra Nicol. Heinsii coniecturam: *vano* bene defenderunt, quum quod poeta adiecto *iactatum* vario modo se laudem quaesivisse profiteatur, tum quod auctorem pro ea, qua in numeris componendis versatus sit, diligentia, primum ipsum versum a quattuor spondeis incepisse vix credi possit. Quibus rationibus hanc tertiam addere licebit, poetam, si *vano amore* et *irrita praemia* scripsisset, eandem rem bis dixisse.

V. 2. idem Graserus bene docuit, quantum *fallacis praemia vulgi* fefellerint Sigillum, quum ea de honoribus et magistratibus a populo in poetam congestis falso interpretaretur. Quare cum Heynio ista praemia ad famam ac gloriam poeticam referre non dubitamus.

Versum 5. in omnibus libris manuscriptis ac veteribus editionibus ita corruptum legimus, ut vix certa coniectura quod a poeta profectum est, restitui possit. Quocirca, quum multum absit, ut in eo versu emendando operam meam minus perditurus mihi videar, quam qui me antecesserint: tam multis tamque diversis, quae hucusque facta sunt, explicandi ac restituendi periculis novum addere non auderem, nisi ea, quam propositurus sum, emendatio, aut certe sensus, quem in loco inesse statuo, Naekio, praeceptori illustrissimo, cuius magna in his rebus apud me auctoritas est, aliquando probatus esset. Ut igitur missas faciam priorum interpretum coniecturas, quas, qui cognoscere cupit, apud Heynium enumeratas reperiet, recentissimi demum, Graserum dico et Keilium, verum poetae sensum magis assecuti esse videntur. Quorum alter in annalibus scholae Gubenensis, quas supra laudavi, recte videns, non affirmantis sed negantis sententiam hic desiderari, commendavit: „*Tum* (quum me hortulus Cecropius complectitur, seu quum totus in philosophiae studiis occupatus sum) *ne quaere dea dignum sit* (noli quaerere dignumne sit Musa) *quaerere carmen*; alter in observationibus criticis in Propertium (Bonnae 1843) in voce *mea* idem vocabulum (*mens*) latere suspicatus, quod equidem Naekio proposueram, legendum censet (p. 13 in adnot.)

Tum mens curet eo dignum sibi quaerere carmen.

Restituenda autem erit illa negatio non per imperativi formam, quam Graser reposuit, sed ita, ut sententia, quam v. 5 continet, antecedenti opponatur, ac totus sensus hic fere sit: etsi totus

ad philosophiae Epicureae studium incubui, neque ad carmina componenda animus fertur, gravioribus studiis occupatus, non tamen desistam, inceptum carmen perficere. Itaque particula interrogativa *num*, quam vulgata praebet, in *nec* mutata privantem sententiarum copulationem nacti sumus neque nimis a litterarum ductu discessimus. Quum vero hanc particulam *nec*, si poeta accurate loqueretur, *sed* sequi deberet, tres, qui sequuntur, versus parenthesis loco accipiendi erunt. Jam in eodem versu vocabulum latere necesse est, ad quod referri possunt, quae sequuntur, verba: *adcincta, suspendit, causa est*. Latet autem in pronomine *mea*, quod quo referas, ne habes quidem, nisi cum aliis ex antecedentibus *Sophia* mente supplendum censeas, atque ex eo facillime *mens* eruimus, quo optime referri possunt verba: *adcincta, suspendit, causa est*. In reliquis pro futuro *quaeret*, quod e forma interrogativa, qua libri hunc versum exhibent, ortum apparet, *quaerit* si restituerimus, cetera intacta relinqui poterunt, quamquam neque vocabulum *eo* ad hortulum Cecropium relatam satis placet, quum potius poetae animum ad nullum omnino carmen componendum ferri exspectemus, neque in geminata voce *quaerere* elegantem lusum verborum cum Graserus admirari possumus. Versum igitur sic scribendum esse censemus:

Nec mens quaerit eo dignum sibi quaerere carmen.

V. 6. Silligius et Graserus sine ulla auctoritate *atque* particulam, quae vulgo post *studium* legebatur, sed in editione principe deest et in codice A in *que*, voci *studium* adiectum (*studium-que*), corrupta deprehenditur, in *quum* coniunctionem immutaverunt, ut *aliosque*, quod quum in libro illo manu scripto, tum in editione principe invenitur, tuerentur. Sed faciliore fortasse modo effici potest, ut haec auctoritas cum vulgata scriptura congruat. Ponamus enim poetam scripsisse:

Longe aliud studium atque alios quae adcincta labores.

Quae emendatio si cui minus probata fuerit, quod *quae* pronomen non solum post tot demum verba locum habeat, sed etiam elisione, quam dicunt, fere pereat, eum versum 15 carminis nostri comparare cumque eo versum 28, ubi Silligius e codice R eandem prope elisionem restituit, conferre iubemus. Proxime ad hanc nostram coniecturam accessit Graserus, qui quum acceperit quod Silligius reposuit, tamen scribit se malle sic scriptum:

Longe aliud studium atque alios quum adcincta labores

eodem ordine verborum, eademque elisione admissa. Sed quod a nobis propositum est, magis codicis R et editionis principis scripturae *aliosque* respondet.

V. 7. Schraderi emendatio *suspexit*, quam novissimi editores receperunt, nulla quidem librorum auctoritate confirmatur, sed loci, qui v. 218 legitur, similitudine magis commendari videtur, quam vulgata *suspendit* aut Scaligeri *subtendit*. Tale verbum magis in nostrum *mens* quadrat, quam in Musam sive *Sophiam*, quam ceteri interpretes huius sententiae subiectum esse statuerunt. Si quid tamen inusitati in singulis verbis relinquatur, id a tota hac periodo, satis artificioso insolentique sermone procedente, non alienum videtur.

V. 8. Silligium, quum sine ulla vel librorum vel veterum editionum auctoritate *licitum* pro *placitum* scripserit, partes suas iusto levius egisse, Graserus iam recte intellexit, cuius rationibus

e sensu repetitis mihi que omnino probatis hanc externam addere non dubito, illud *placitum* ipsa corruptela *placidum*, quae quum in utroque codice Vratislaviensi (A et R) tum in editione Aldina (1517) legitur, egregie confirmari.

V. 10. *Iure* poetae Musae requiescere poterunt, si is promissis steterit.

V. 11. Neque Silligium sequor, qui *leviter* ad elegos pertinere censet, quorum mentionem v. 20 in voce *gracilem* detexisse sibi visus est, quamvis e primo Culicis versu *gracili Thalia* epicam poesin significari appareat, neque Forbigerum, qui adverbio isto „artem poeticam tamquam ludicram gravi philosophiae studio opponi“ putavit. Simpliciore modo equidem *leviter* ita intelligo, ut scriptor *carmine quodam minore* sive *levioris* momenti, quale Ciris est, non carmine philosophico, ut ita dicam, aut omnino gravioris momenti, valedicturus sit poesi. Talem oppositionem poetae animo obversatam esse, etiam verbis „mirificum genus“ in versu sequenti haud parum confirmatur.

In versibus 12 et 13 tractandis vix dici potest, in quam diversas partes abierint viri docti, quorum alius alium, ut fere fieri solet, refutavit, ut novo commento locum daret. Versus 12 in libris et veteribus editionibus mancus est; desunt enim verba *proferre valent*, unus codex A praebet versum integrum, sed *perferre* exhibet, non *proferre*. Ex ipsa autem hac corruptela aliquam vulgatae scripturae accedere auctoritatem, quis est qui non videat? De qua re quum in universum recte iudicaverit Graser, qui sic statuit: verba *proferre valent* aut ipsi poetae deberi, aut si suppositicia sint, certe ita inventa esse, ut sententiae poetae respondere videantur, miror, eum non periculum fecisse vulgatam explicandi, sed potius locum medela egere ratum, ita correxisse:

Quodsi — mirificum proferre valent genus, omni

Mirificum saeclo, modo sit tibi velle libido —

Si etc.

In qua emendatione, ut sensum et verborum copulationem taceam, non solum cum ipso Graseri parenthesi *nam* particulam praemissam vellem, sed etiam subiectum, quod adfuit, suppressum aegre fero. Quin adeo ille, qui Silligii audaciam tam iocose atque acerbè cavillatus est, ipse non omni levitate vacare videtur, quum v. 13 scripturam *mirificum saeculis* propter antecedens *omni*, quod commentus est, mutaverit in *mirificum saeclo*, respicere iubens ad versum 41, ubi non *saeclo* sed *saeculis* legitur. At vero, si quid video, locus bene se habet, modo recte explicetur. Verborum et sensum et iuncturam Heinrichius (in Bibliotheca vett. litt. et art. Fasc. X, p. 44) primus ita explanavit: „Quodsi magnum *opus* (quod pro *genus* proposuit) proferre licet, modo volueris, equidem te magno carmine venerarer;“ procedere debebat oratio ex vulgi more: quodsi omnes — quibus tantum libido est, sed invertit auctor structuram ad variandam orationem. Tria omnino sunt, quae ad illam praeceptoris optimi sententiam addere placet.

Primum commutatione ista vocis *genus* in *opus* non *opus* erit, quum *genus poematum* intelligendum esse in promptu sit post ea, quae antea dicta sunt (v. Graser.); deinde sententia illa cum quadam ironia enunciata est hoc fere modo: quodsi scilicet omnes proferre valent — neque verbis ita acceptis erit, cur in indicativo praesentis pro imperfecto coniunctivi, quod est in sequentibus (*pangeret*), posito offendamur. Quaeri denique potest, utrum scrip-

tura *saecli*, an ea, quam codex Basileensis una cum vetere editione exhibet, *saeclis* sit praefenda, quarum altera significaret: ein Wunderwerk des Jahrhunderts, altera ein Wunderwerk für Jahrhunderte. Priorem posteriori anteponendam esse duco quum propter maiorem auctoritatem — qua codicem Basil., ad exemplum editionis principis descriptum, omnino carere iam in prooemio monui — tum quia *mirificum* substantivi loco positum et *saeclum* pro aetate acceptum magis poeticum esse videtur, sed ob hoc ipsum eo facilius in scripturam magis vulgarem *saeclis* abire potuit. Sic omnia expedita sunt. Quamobrem bene fecit Forbigerus, quod non Silligii auctoritati, ut tot aliis locis, nimis tribuens duo versus in unum contraxit. Sed qua ratione ductum se eximiam illam auctoritatem non secutum esse fatetur? Ideo, ne vulgares versuum numeros cum Silligio plane immutare deberet!

V. 21. *Si fas est dicere* non cum Heynio ad coepti, sed potius ad imaginis, qua hoc loco utitur, audaciam excusandam additum puto. — Bothius in Virgilio Virgiliano p. 38 maluit: *magna*, ne accusativus desideretur, sed si verbi obiectum supplere necesse esset, *te* subaudiremus, quod ipsum infra v. 36, ubi eo, unde longius digressa est, oratio revertitur et continuatur, legimus. Vulgatum autem *magno* retinemus, quippe magnum carmen comparat cum magno peplo, qua dictione etiam v. 30 plurali numero utitur. Duo autem sunt, quae contra Bothium dici possunt, primum quod illud *magna* per se nimis vagum esset, dein quod vocabulum *peplo* sine ullo attributo iusto nudius positum videri eoque minus tali epitheto carere posset, quod hoc loco omnia ad unum substantiva adiuncto quodam sunt exornata.

V. 24. *Tarda* vocantur *Quinquennia*, quam vocem Silligius pro *Quinquatria* e codicibus revocavit, quia quinto demum anno redeunt.

V. 26. De errore, in quem inductus est Heynius Pomponio Sabino perperam intellecto, quem credit *gravidam Chlorim* legisse pro *currum*, vide quae adnotavit Naekius in fine prooemii indicii praelectionum Academiae Borussicae Rhenanae anni 1826 praemissi.

V. 26. Velum vento *tumidum* comparatur cum muliere foetum gerente.

V. 39. sensus est: magno carmini de rerum natura vellem intexere nomen tuum ac laudes tuas.

V. 42. Miror interpretes fugisse, Heynium in hoc loco explicando et in eo adhibendo manifesto sibi repugnare, quum in adnotationibus versus 42 recte de philosophiae studio explicet, in Prooemio autem, quod Ciri praemisit (p. 131 ed. Wagneri), eo utatur, ut demonstret „scriptorem se iuvenem testari“, ubi de primis carminibus, non de philosophia eum cogitasse in promptu est. Equidem versibus 42 et 43 ad philosophiae studium, vv. 44 et 45 autem ad poesin relatis, cui iam prima iuventute indulserat, locum, unde verum de carminis auctore iudicium pendet, sic interpretor: sed quoniam nunc primum philosophiae me dedi, in qua vires adhuc debiles firmare debeo, tibi interea eorum aliquid mitto, in quibus prima iuventute elaboravi. Quae omnia cum Virgillii vitae rationibus sic congruere mihi persuasum est. Virgilius quarto et vicesimo fere aetatis anno, eo tempore, quo duce Scyrone, philosopho Epicurao, philosophiae studuit nec multum

in ea progressus erat, Cirin ad Messalam iuvenem (v. 36) misit. Huius de toto carmine sententiae rationes exponere in aliud tempus differre necesse erit.

V. 46. *Vigilata dona* i. e. dona vigilanter elaborata, ut apud Ovidium Fast. IV. 109 *vigilatum carmen*.

V. 48. Schraderi coniectura *exterrita amoris* non parum confirmatur eo, quod in versu sequenti *que* copula in codicibus et antiquissimis iisque praestantissimis editionibus non invenitur, quam demum post illatam corruptionem *exterruit* additam esse, cognoscere haud difficile est.

Versum 55. si quis forte pro interpolato aut poeta indigno habeat, conferat quaeso Eclog. I. 32 et Epigr. XI. 11. atque inprimis Epigr. VII. 12. (*nam verum fatebimur*).

V. 56. *Mutatam membra* ut v. 70 *mutata speciem* et v. 198 *mutatae corporis artus* Graecorum more dictum.

V. 57. Silligius e manifestis corruptelis codicum Rehdigerani et Helmstadiensis novam scripturam enucleare conatus est, quod neque sine audacia neque prospero eventu fecisse videtur. Nihil omnino mutare opus erit, si vulgatam, qualem codex A. et omnes veteres editiones inde a principe praebent, recte explicaverimus. Iunge autem verba hoc modo: *monstra in saxum conversa vocari* (sc. *perhibent*) *Scyllaeum*, ita ut hoc nomen proprium non sit adiectivum ad *saxum* pertinens, sed substantivum, τὸ Σκύλλαιον, ut apud Strabonem VI. 257 illud saxum nominatur.

V. 58. Nescio, utrum audacius sit, haud exiguum, quae in voce *aerumnis* continetur, difficultatem tollere Silligii coniectura *aerunnoso*, quae non solum ipsa omni auctoritate prorsus destituta est, sed etiam pronomen *illum*, in omnibus ad unum libris et editionibus obvium, eiicere cogit, an vulgatam, nulla librorum aut editionum varietate dubiam, ita explicando, ut *aerumnis* dictum sit pro: *in narrationibus de aerumnis*, eodem more, quo Graeci *νόστοι* dicunt de carminibus, quibus heroum errores et fata in reditu a Troia excisa celebrantur. Coniunctivus *legamus*, ut v. 65 *dicantur*, e mente istorum, quos v. 54 commemoravit, poetarum, dictus vix offendere potest.

V. 62. Distinguere videtur poeta tres diversas huius fabulae formas, quarum prima Scylla in avem, altera in saxum, tertia in monstrum marinum seu puellam (inde: *candida*) *succinctam latrantibus monstris* i. e. *canibus marinis* (v. 61) conversa esse fingitur. Hae tres discrepant ab Homero (Od. XII. 85 sqq.), cui Scylla est bellua duodecim pedibus, sex capitibus, ex horrenda spelunca eminentibus, instructa. Haec discrepantia inter Homeri descriptionem et illas fabulae variationes, ac diversarum fictionum conglutinationes, quas poetae quum Pindari aetate (v. Voss. epist. mythol. I. 33), tum Augusti tempore (Voss. comment. in Virg. Ecl. 332) invenerunt, significatur v. 62, ubi eiecto vocabulo *haec*, quod in duobus codicibus (R. et H.) abest, verbum *credere* absolute positum (ut Georg. I. 415, Aen. VI. 173) minus offendit, quam in vulgata infinitivus activi pro passivo.

De versu 63 longam Silligius instituit disputationem, cuius summa haec est: „Scyllam Homericam Nisi filiam esse non posse, comprobatur ipsius Homeri testimonium, qui ei Crataein matrem tribuit, et patrem *Neptunum*, ut proinde Nisi filia haberi nequeat.“ Neptunum enim *auctorem malum istorum* (sc. sociorum Ulyssis) *dubiis erroribus* esse statuit. Quam quidem sententiam,

ut cuiquam, praeter Forbigerum, persuadeat, magnopere vereor; in ea grammaticum magis quam poeticum ingenium comparere, ipse fatetur. Sed ne tam longus sim in illa opinione refutanda, quam ipse in ea exponenda et probanda fuit, proponere audeo *nec* accipere pro *nec tamen, auctorem* ad ipsum Homerum referre et in fine versus *est* copulam mente supplere, ita ut hic existat sensus: nec tamen Homerus malus auctor (Gewährsmann) *est* illarum narrationum de erroribus Ulyssis eiusque sociorum. De dativi pro genitivo usu apud poetas profecto non insolenti, confer, sis, praeter Aen. II. 556, Cirin v. 491, ubi ipse Silligius, qui nostro loco structuram *auctor erroribus* prorsus nullam esse, contendit, conferri iubet Burm. ad Ovid. Met. VI. 659, Calpurnium IV. 110, Lucan. VIII. 677 et c. Quisnam lectorum sive auditorum de Neptuno potius quam de Homero cogitabit, praesertim quum et in antecedenti versu et in sequentibus non nisi de Homero sermo sit?

V. 66. Forbigerus Heynii coniecturam, quam Jahnius quoque in contextum receperat,

Ipsae Crataeae ait matrem

iure laudans, Silligium codicum vestigia fortasse nimis strenue secutum esse censet, cum *ei* pro *ait* ediderit. Nominis proprii loco in codice Basileensi lacunam esse, collatio Naekiana testatur.

V. 67. Docta quidem et ingeniosa est Silligii coniectura *germana*, sed quomodo inde foeda ista corruptela *gravena*, quam omnes et libri et editiones tuentur, oriri potuerit, non tam facile est ad intelligendum. Quare suspicari possis, latere in illo codicum *gravena* corruptum quoddam nomen proprium, quale apud Pomponium Sabinum legitur, praesertim quum nomen, quod Crataei opponatur, multo magis expectes, quam hunc abstrusum loquendi modum, vel fabularum peritissimis vix satis perspicuum. Quod quale fuerit, nunc divinari vix poterit.

V. 70. *Speciem mutata* ut supra v. 56 *mutatam membra*. Ad *iactis* mente supplendum est *in aquam*. Amphitrite enim Scyllam propter stuprum, a Neptuno ei illatum, in monstrum commutavit mari eo, quo illa cum coniuge vehebatur, veneno infecto.

V. 72. Quae Silligius, codicum vestigia secutus, restituit *scaeva in timidam*, quum neque Forbigerus suffecerint, neque mihi satis placeant, equidem, quam olim excogitaveram, emendandi rationem, nunc etiam in medium proferre audeo. Quare suaserim, ut hic locus sic legatur:

Ipsae pater saeve timidam complexus arena

ut *saeva* sit *vehementer*, *cupide*, *libidinose*, qualis *amor saevus* dicitur in Ecl. VIII. 47. Quae scriptura quum e sententia magis commendabilis videtur, quam quae *arenam infaustam* appellari statuit ac praepositionem *in* e littera *m* erutam introduxit, tum litterarum similitudinem haud minus servavit, quia *scaevam* uno in codice Rehdigerano (qui etiam v. 165 manifesta corruptela *scaeva* pro *saeva* suppeditat), in ceteris, ut in editionibus, *saevam* invenitur. Si vero epitheton desideres, quo *arena* exornetur, eo fortasse lubentius carebis, si memineris *arena* cum vi quadam mari opponi. *Timidam*, quod cum optimo codice et editio princeps et ipsa corruptela *timidam* in cod. Helmstad. tuentur, non solum magis poeticum esse, quam ineptum illud *nudam*, quod vulgata offert, sed etiam puellam reluctantem ideoque innoxiam significare, recte vidit Sillig.

V. 75. Miror, viros doctos, qui exempla e poetis latinis collegerunt, quibus demonstrarent, cura dici pro *amata*, fugisse ipsius Virgilii locum, qui est in Ecl. X. v. 22: *tua cura Lycoris*, cum quo conferas Aen. I. 678.

V. 76. *Sanguine* pro *veneno*, quod v. 70 dixerat, sermonis variandi causa positum. Sanguine, imprimis viperino, veneni loco veteres usos esse, satis luculenter demonstravit Heinrichius in Biblioth. Goetting. artt. et litt. vet. X. p. 45. Quae Silligius contra eius opinionem protulit, magnam partem repetere pudet.

V. 79. Silligio, codicum scripturam, quamquam sententiam vulgata impeditiorem continet, bene defendenti, exemplum copulae *et* voci suae postpositae suppeditare potuit locus ipsius Virgilii in Ecl. I. v. 34: *pinguis et*.

V. 81 et 82. Naekii collatio cod. Basil. exhibet *quotiens*.

V. 85—88. Quamquam non is sum, qui omnia, quae molesta et supervacanea, vel a poetae ingenio aliena esse videantur, illico interpolatoribus tribuenda esse arbitrer, tamen quattuor hos versus a Ciris auctore, quisquis fuit, profectos esse vix mihi persuadere potui. In fine huius recensionis diversissimarum, quibus de Scylla fabula narratur, rationum, grammaticus quidam adscripsit eam fabulae interpretationem, quam apud Palaephatum se legisse recordabatur, una cum auctoris nomine, in quo etiam errasse videtur, quum apud Palaephatum, quem nos quidem habemus, longe alia fabulae enarratio (de navi Tyrrhenorum piratica) inveniatur, haec vero, cui auctoritatem afferre conatus est grammaticus, apud Heraclitum legatur, qui item librum *περί ἀποστον* scripsit. Facillima autem erat haec scriptorum permutatio, si nomen e memoria adscriptum esse statuamus. Sed concedamus Silligio et Forbigero, nos non habere verum et antiquum Palaephatum neque errorem, quem deprehendisse nobis visi sumus, commissum esse, quis vero est, qui iis concedat, Virgilium Palaephatum, grammaticum Alexandrinum, cuius prima mentio fit apud Suidam, auctorem adhibuisse, ut doceret — novum et inauditum fabulae modum? — minime, ut ostenderet, Scyllam merito infamem fuisse — quod ex ea, quam Silligius proposuit, structura merum relinquitur illi Palaephati testimonio! Ex tali scholiastae cuiusdam adnotatione in margine adscripta postea exorti sunt quattuor isti versus, poeta prorsus indigni. Sed multo etiam magis, quam in ipsa tota sententia, offendimur in eius partibus atque in singulis verbis, in quibus explicandis corrigendisque insignem operam perdidit interpretes. Primum, si Silligii modum verba *poenam quam* iungendi sequimur, cur opus erat, addere ad *dictam voto poenam*, coram quibusnam istae decumae quaestus votae fuerint, et cuinam tandem probabile est, talia vota a puella maiore iuvenum cetera circumdata facta esse? Quis, quaeso, *animum ferarum* pro *animo feroci* ferre poterit? Quis est, qui epitheta *mala*, et *meretrix* omnino abundare ac frigere non sentiat? Quis locationes, quales sunt *iactata animo*, *tali meritorum more* usquam legit? Quam ieiunum denique sensum in versu 87, quam putidam elegantiam in v. 88 deprehendimus! Accedit quod foeda hac interpolatione eiecta artior sententiarum cohaerentia atque multo expeditior orationis cursus evadit, quum v. 89 *clades* per metonymiam de Scylla ipsa, Veneris templum damno afficiente, dic-

tum ad v. 84 respiciat. Exemplum, quod Heynius attulit ad hoc loquendi genus explicandum: *fundi nostri calamitas*, petitum est e Terentii eunucho I. 1, 34.

V. 92. *Meditanti mittere* Graecorum more iunctum.

V. 93. Heynius non accurate reddidit scripturam cod. Basil., in quo non solum primum hemistichium legitur, ut in vett. edd., sed totus versus.

Versum 117. ad Megarenses, eorumque defensionem referendum esse, Heinrichius (l. c. p. 46) nemini adhuc persuasisse videtur, quamquam neque in eo refutando quisquam versatus est. Cuius explicationem quominus probemus, quum singula verba obstant: *infesto agmine ad muros volitantes*, quae non nisi de hostibus urbem obsidentibus dici possunt, tum versus 119; nam si sufficiebat meminisse oraculum, non opus erat, talia contra hostem moliri, sed is sine periculo expectari potuit. Omnia optime procederent, si versus 118 abesset, ita ut hic esset contextus:

Sed neque tunc cives, neque tunc rex ipse veretur

Infesto ad muros volitantes agmine turmas,

Responsum quoniam satis est meminisse deorum.

Sed tamen Heinrichio assentiri malim, qui versum 118 mendosum esse contendit, quam Heynio, qui eundem delendum censet. Mendum autem latet in voce *ducere*, quae ab eo invecta esse videtur, qui versu 117 Megarenses significari statuit. Quamobrem, quum codices Rehdigeranus et Helmstadiensis *dicere* pro *ducere* exhibeant, Silligius suspicatus est, legendum esse *vincere*. Sed id neque ad *veretur* accommodatum videtur, quare Silligius ironiam inesse statuit, neque facile verbum tam vulgare in *ducere* aut *dicere* corrumpi potuit. Itaque si quis *icere* proposuisset, magis ad litterarum similitudinem accessisset simulque corruptelae originem probabiliori modo indicasset, quamquam talis huius verbi usus exemplis vix confirmari poterit. In verbis proxime sequentibus *indomitas* e codicibus iure restitutum est.

Ne versus 120 et 121 pro supervacaneis, sequentia tantum variantibus, neque venam poeticam sed ingenium scholiasticum redolentibus habeas, monere iuvat, primum locutionem *mirabile dictu* in exitu hexametri Virgilio esse in deliciis, in quam rem conferas locos a Forbigero allatos Georg. II. 30, III. 275, Aen. I. 439, deinde *caesariem* (capilli in universum) distingui a *crine*, atque epithetis *candida* et *roseus* alterum nomen alteri opponi. Quae oppositio quo magis perspiciatur, Silligius unius editionis (Ald. 1534) *at* in initio v. 122 „retinuit“, vel potius intulit contra omnem codicum et veterum editionum auctoritatem, qui in copula *et* consentiunt omnes.

V. 135. Insignis hic de amoris potentia locus comparari potest cum Sophocl. Antig. v. 777 sqq.

V. 139. Verbis *cuius periuria* sqq. ut idoneum sensum eruerent, misere sese torserunt interpretes, imprimis post Scaligerum Silligius. Sed ea, quam inde evolvere conatus est, sententia quum ipsa maxime ieiuna ac frigida est, tum aegre reperitur in verbis, quorum alia impropria significatione accipienda, alia insolito modo iungenda sunt, alia non nisi supplementis longe repetitis intelligi possunt. Magis commendabilis huius loci interpretatio mihi, saepius de ea meditati et corruptelam in voce *periura*, quippe ex antecedenti versu repetita, quaerenti, in mentem non venit, atque omnino id, quod a poeta ipso profectum est, sine novis iisdemque anti-

quioribus subsidiis unquam restitutum iri vix spero. De interpolatore cogitare nihil expedit, quum ne iste quidem tam absurde locutus esset, neque tales exornationes atque amplificationes a poetae nostri ingenio alienae sint; cf. v. 158 et alios.

V. 144. Voce *ludere* ventilandi significatione de vestitu Iuvenalis quoque (l. 28) usus est.

V. 145. Ad honores de rebus sacrificatis dictum conferre poteris praeter Ovidii locum, quem Silligius attulit, Virgil. Aen. I. 49, IV. 207.

V. 155. Quominus Silligii coniecturas licet ingeniosas *Urendo — ture* pro *Iurando — iura* probemus, praeter librorum et editionum auctoritatem nos impedit *periuria* v. 156, quod ipse de promissis violatis explicat annuente Forbigero. Quidni ista promissa, quaecunque ea fuerint, in antecedentibus *iurando iure* expressa putemus? Ne autem dissoluta horum verborum copulatio aut inversus eorum ordo te offendat, compara, sis, Ovid. Heroid. ep. ult. v. 133: *quid prodest iurandi formula iuris*.

V. 156 et 157. adeo non cohaerent et breuiloquentiam a poeta nostro tam alienam continent, ut aliquid excidisse, fortasse integrum versum periisse suspicari possis, nisi accentu in *no-cuisse* omnem difficultatem sublatam esse, Silligius tibi persuaserit.

V. 161. Quum in vulgata non solum *tereti* sed etiam *Tirythia visu* sensu omnino carere viderentur, neque codicum varietas multum auxilii praerberet, viri docti de huius versus restitutione fere omnes desperaverunt. Quae autem Silligius, a codicum vestigiis longe recedens, commentus est

mentem et — irritantia visu

nulla ratione habita vocis *mente* in sequenti versu redeuntis, iam Forbigero adeo improbata sunt, ut ipse aliam loco medicinam quaerat, cui tamen inveniendae se imparem esse confitetur. Paullo magis monstrosus librorum corruptelis parcat Keil (observat. crit. in Propertium), qui proposuit:

Heu nimium certa et nimium terrentia visu

visu cum Silligio pro *adspectu* accipiens. Quod de voce *terrere* e libris inferenda cogitavit, non male fecit, sed eam e primo hemistichio, ubi duo codices (R et H) *terret* (etenim *teret* in Helmstadiensi inde corruptum esse apparet) exhibent, in alterum transtulit. Si vero verbum *terrere* suo loco reservaverimus, neque nomen proprium (*Tirythia*), item duobus codicibus (A et H) et veteribus editionibus confirmatum, repudiaverimus ita, ut in vulgata scriptura una vox *tereti* apertissime corrupta emendetur et versus quasi in parenthesi sic legatur

— *Heu nimium terrent, nimium Tirythia visu* —

i. e. tela nimium terrent, nimium Tirythia tela esse videntur aspectu (*visu*): sententiam non magis artificiosam, quam multae aliae in hoc carmine inveniuntur, constituerimus, simulque librorum auctoritatem, quantum fieri potest (voci *terret* una littera inserta), secuti erimus. De iterato vocabulo *nimium* conferre iubet Silligius Aen. XI. 841. Quod vero *irritantia* verbum solemne telorum esse ideoque hoc loco desiderari ex Aen. X. 644 *irritatque virum telis* colligit, iusto levius fecisse videtur. Nam miles hostem telis irritat, ut hic certamen ineat ac pugnet, sed id in Amorem puellae mentem vulnerantem cadere non potest. Huc accedit quod, quomodo notissimum vocabulum *irritantia* a librariis in *Tirythia*, *tiricia* corrumpi potuerit, nemo intelligit.

V. 165. Cum Bentleio (Horat. carm. I. 25, 11) et Weicherto (in poetar. lat. vitis et rell. p. 425) vulgatam

— *Ciconum Bistonis in oris*

retineo. Illud *Ciconum* primum abiit in *Cidonum*, quod in antiquissima editione Veneta (anni 1484) deprehendis; id facillime librarii in notissimum *Sidonum*, nomen ab hoc loco alienum, mutaverunt. Sabinus quidem Sidones populum Thraciae fuisse contendit, ad Plinium provocans, apud quem talis populi nulla mentio fit. Scaligeri *Edonum* ut in verborum contextum inferri posset, eiecta est praepositio *in* e quinto pede, sed aegre ea caremus, eamque genuinam esse eo magis statuimus, quod tantum ex *in oris* non e mero *oris* corruptelae *honoris* in cod. Helmst. et *honores* in cod. Rehdig. et ed. pr. oriri potuerunt.

V. 166. Proprium erat Cybeles cultui, ut antistitae sub tiliarum cornuumque cantu saltarent, bacchantium instar. Quum vero totus huius deae cultus Phrygicus esset, *buxum barbaricum* dicitur. Scylla igitur, Amoris telis vulnerata, tali furore correpta est, quali Cybeles antistita, tibia audita, ad saltationes incitatur.

V. 167. Quum ablativi *styrace Idaeo* ad vocem *fragrantes* referendi sint, illud *picta*, quod omnino capillis parum accommodatum est, nimis absolute positum esso puto. Quare reponendum censeo: *vincta*, quod quum auctoritate nonnullarum veterum editionum, *vinctos* exhibentium, tum maxime illo, quem poeta noster imitatus esse videtur, Catulli versu LXIV. 65:

non tereti strophio luctantes vincta papillas

egregie confirmatur. Structura *vincta capillos* et Catulli exemplo et nostri carminis versu 206 (*devinctus lumina*) omni dubitatione eximitur. Neque solum auctoritate et librorum et Catulli haec scriptura probabilior videtur, quam quae ex Iacobsii et Wakefieldii coniectura recepta est a Silligio et Forbigero, *tincta*, sed etiam quod sententiam attinet. Ut enim illorum *tincta* per se abundare, ita etiam totum versum supervacaneum reddere videtur. At nostrum *non vincta* simplicissimum hunc sensum praebet: *soluta capillo*, quod maxime proprium est mulieri bacchanti. Simili verborum copia in versu proxime sequenti nudi pedes describuntur.

V. 169. Epitheton *cognita*, quo ieiunius vix excogitari potuit, Scaliger explicat *consueta*, sed ipse malit *condita* per hypallagen dictum. Si vero a scripto recedere opus est, suspicor, poetam potius scripsisse *candida*, satis elegans epitheton, in quo simul nitidis significatio inest. Ceterum exemplo e Lucretio petito (III. 1121), quo interpretes usi sunt, ut *Sicyonia* ita nude positum defenderent, addi potest auctoris rhet. ad Herennium IV. 3, 4 et antiquissimum illud Lucilii apud Festum s. v. Sicyonia p. 149.

Et pedibus laeva Sicyonia demit honesta.

V. 172. Fieri nequibat, quin Scylla, quum muros urbis accessisset, ab hoc illove interrogaretur, quid sibi vellet. Quare, quum veram causam profiteri non liceret, illa turbata, ut fieri solet, vagum quoddam dedit responsum, quale hoc est, se visuram esse tures urbis. Eas enim intelligo tures, non hostium machinas et tures, quas, si classe advectae fuissent, poeta non *aërias*

adpellasset, sed alio epitheto disertius significasset. Haec sufficere videntur ad refellendam Heynii opinionem, qui hunc versum ex variatione antecedentis natum esse putavit.

In versus 180 hemistichio altero ut idem sensus insit, qualem Ovidius notissimo illo

Non bene conveniunt pudor atque amor

effatus est, supplemento *est, ibi*, satis quidem duro, opus est, nisi credere malis particulam *ubi* e versu sequenti irrepsisse atque illud *ubi enim* cum alio quodam copulandi vocabulo, fortasse *etenim*, commutandum esse. In refutanda ea, quae Heynio orta est, interpolationis suspicione Silligius ne verbo quidem moratus est.

V. 185. *Ah demens* cfr. Ecl. II. 60, VI 78. — Silligius, postquam vulgatum *ferret* in exitu versus nulla codicum auctoritate sustentari bene perspexit, cur non in voce *serum*, quod duo codices servarunt, acquieverit, sed haud exigua audacia *sacrum* introduxerit, non intelligo. Namque illud *serum* pro *senile* dictum, ut Virg. G. IV. 144 *ulmum seram* adpellat, epitheton esse videtur Nisi crinis, qui poetae nostro v. 123 *candidus* erat, minime ineptum.

V. 186. Non cum Heynio epitheton Minois gentile aut patronymicum, quod sane otiosum esset, exspecto, sed potius tale, quo hostis natura indicetur, quale est illud *arguto*.

V. 187. Silligius repudiato vulgato *miseræ proponitur*, cuius nulla est codicum neque vett. editt. auctoritas, ad coniecturam refugiens, e librorum corruptela *ereptæ* s. *erepto ponitur* eruere conatus est: *deceptæ ponitur*, quod quum e sententia satis placeat, tamen qui in tam varias scripturas abire potuerit, non tam facile est ad intelligendum. Quocirca nobis, codicum vestigia ulterius sequentibus, illud *raptori*, quod optimus codex A una cum vett. editt. servavit atque varietas: *rpto* egregie tuetur, fons omnium corruptionum fuisse videtur. Ponamus enim poetam scripsisse:

Namque haec conditio raptori ponitur una

ita ut tertius casus sit pro sexto (*a raptore*) ex usu poetis frequenti, quid magis exspectari potest, quam a librariis prorsus contrarium desideratum indeque corrigendi studio suprascriptum esse *nisi ereptæ*, quod legitur in cod. R., id est: nisi potius dicendum erat *ereptæ* (loco *raptori*)? Haec una inveniri poterit ratio, qua originem illius *nisi* explices, quod quum prorsus ineptum sit, ab interpretibus, quamquam in omnibus codicibus, praeter unum cod. A, et in omnibus fere vett. editt. obvium, omnino neglectum videmus. Si quis vero illum dativum pro ablativo positum cum ipso ablativo nimis facile confundi posse contendat, reputet quaeso, primum similia fere ambiguitate dictum esse a Cicerone ad Att. I., 16: *epistola, quam nolo aliis legi pro ab aliis*, deinde vel satis magnam audaciam in nostro carmine non inauditam esse, eamque né falso accipiamus, sequentibus verbis: *sive illa ignorans* quodammodo caveri.

V. 193. Cod. Basil. secundum Naekii collationem *extracto* exhibet, non, quod Heynius enotavit, *extincto*.

V. 218. Silligius emendationi suae: *Lunae sidera mundi*, quam repudiata omnium codicum auctoritate ausus est, ipse non multum tribuisse videtur, quum non solum plurimis verbis et exemplorum copia eam commendare conatus sit, sed etiam in fine longae disputationis codicum

scripturam *coeli* et c. aliis magis probari atque Ennii locutione *coeli mundi* defendi posse fateatur. Cuius argumenta, de origine posterioris huius scripturae prolata, quam non valeant, quum a Forbigero iam recte intellectum sit atque animadversum, equidem iterum ea refutandi opera libenter supersedeo. Sed omnino maxime improbanda mihi videtur illa artis criticae exercendae ratio, quae magis proprii ingenii commentis indulgeat, quam in librorum auctoritate tuenda versetur. Cuiam vero persuadebit Silligius *Lunae sidera mundi* minus audacter dictum esse, quam *coeli sidera mundi*? Locum enim, quem in rem suam confert, v. 37 *candida Lunae sidera* docet tantum, *Lunae sidera*, idque non sine audacia, a poeta nostro semel dictum esse, minime autem, quod exspectamus, *Lunae sidera mundi* dici posse; quare, quum Silligium *Lunae sidera* defendere oporteat, quis est qui codicum *coeli sidera* exemplis comprobari cupiat? Si quid poetae animo ex antecedentibus obversabatur, versum 7 maiore iure cum nostro loco comparari posse, quam v. 37, facile intelligitur.

V. 227 et 228. Quam Silligius secutus est locum interpungendi atque interpretandi rationem, ea ut cuiquam probetur, magnopere verendum est. In qua quidem maxime displicet *subegit* ad *Rhamnusia* relatum, ita ut subiectum a verbo suo non solum duabus enunciationibus interiectis separetur, sed etiam media in earum altera locum habeat, neque exemplum e Valerio Flacco allatum tam inauditum loquendi genus confirmat. Sed audacius etiam in commento suo *quod ut o* probando versatus est. Nam, ut cum eo de interiectione *o* omnino otiosa taceam, illud *quod ut* satis defendere sibi visus est provocando ad v. 150, ubi scriptura *quod uti* ab eo ipso demum, licet non sine librorum auctoritate, illata, neque talis earum coniunctionum copulatio luculentis exemplis probata est. Quocirca periculum facere liceat vulgatam defendendi. Uno commate post adiectivum *levis* deleto hoc modo verba cohaerent: *nec levis cura* (i. e. caussa, ut v. 231, Beranfassung) *te subegit, ut hoc faceres (neque enim pote); haud fallor, quod te potius Rhamnusia fallit* (i. e. decipit). *Subigere* sequenti *ut* iunctum apud Plautum Most. III. 3, 14. Curc. IV. 3, 8. Trin. IV. 2, 6. legitur, quae coniunctio quam facile mente suppleri possit, non est quod moveam. *Rhamnusia* autem seu *Nemesis fallit* seu decipit puellam, quum eam ad facinus committendum incitet, quod postea ipsa ultura est. Simili modo apud Iuvenalem X. 111 *numina maligna* vocantur.

V. 235. *Remorere*, quod olim in pluribus editionibus legebatur, nunc corruptela optimi cod. A, *remore* exhibentis, haud parum confirmatur. Quod, si singulas locutiones consideraveris, quantum praestet vulgato *morerere* facile intelliges; nam de actione repetita nutrix loquitur, cui vox *mori*, licet de vehementis amoris aestu dicta, parum convenit; deinde *mori circa* pro *mori propter* exemplis e Latinorum poetarum usu repetitis nondum comprobatum est, neque pluralis *formosi capilli* pro singulari ferendus est hoc loco, ubi diserte unus crinis intelligitur, minime crines in universum. Si quis praesentis concunctivi usum imperfecti loco poetae concedere nolit, v. 235 *cur* pro *cum* Heynio suadente scribere possit.

V. 239. Quamquam Silligius in epimetro Ciri praemisso gloriatur se „praestitisse, ut non amplius de interpolationibus dicatur, quae in hoc carmine tam raro descripto certis argumentis

nunquam adstrui⁴ possint, tamen hoc loco, quum alterum hemestichium in codice R desit neque probabilem contineat sensum, de interpolatione cogitavit. Quare, quum et in versu sequenti nonnulla abundare videantur, quale *utrumque*, quod vel de Scyllae matre iam mortua acceptum parum placet, et duplex ablativus modi *uno errore* post *scelere nefando*, miror, Silligium non duobus his versibus eandem medicinam attulisse, qua in curandis versibus 12 et 13 usus erat, duos scilicet in unum contrahendo hoc fere modo:

Ut scelere infando studeas violare parentem!

V. 241. Quae contra codicum R et H scripturam *animis* — *amorem*, quam Silligius tueri et explicare conatus est, disputari possint, Forbigerus iam bene perspexit, qui ad v. 244 recte monuit, *concessum amorem* et alium quemvis amorem opponi *infando sceleri* i. e. incesto amori in patrem. Quare ei assentior, vulgatam praestantior, certe expeditior esse, quam contortam illam librorum scripturam et artificiosam, qua in ea opus est, interpretationem. Si *animo*, quodammodo abundans, non adesset, omnia optime se haberent, sed quoties talia versus explendi causa a poetis adduntur!

Neque aliter v. 246 de revocata codicum scriptura *dulce* i. e. in meum gaudium, ut Silligius interpretatur, iudicans, eam sic ortam esse suspicor: *dulcem* scribebatur *dulce*, abbreviandi signo suprascripto, quo deleto aut neglecto, quum *dulce* per metrum admitti non posset, ante pronomem *mih*i ponebatur, ita ut versus bene procederet.

V. 249. Silligius mihi non magis quam Forbigerus persuasit, *morbo*, quod ex uno cod. Redigerano (non *Romano*, ut mirabili errore dicit Forbigerus) edidit, a poeta profectum esse; imo vero id aut in margine aut supra adscriptum esse videtur rarioris verbi explicandi causa, quod quale fuerit (*sanie* e vestigiis cod. Helmst. *sconia* praebentis?), coniectare non ausim.

V. 265—267. ut multis aliis locis, quod e manifestis codicum corruptelis Silligius coniectura restituere atque non sine audacia quadam explicare conatus est, minus placet, quam vulgata. Sic *ipsa*, v. 265 hoc sensu additum esse videtur: minus horrendum esset delictum, si alius id committeret, non ego, ipsa regis filia; et v. 266 sq. signo interrogationis post *sinis* posito, sic expeditur oratio: quoniam tu tibi omnia ad me spectantia dicere sinis.

V. 274. Quamquam Silligius e codicum *auctum* satis feliciter *sanctum* restituisse videtur, tamen quae contra vulgatam disputavit tolluntur, si cum Scaligero pro *memoris*, quod a librario hiatus evitandi causa invectum est, legas *memori* hoc sensu: *perque tuum pectus a me* (i. e. mihi), *alumna memore, haustum*. Simillimum hiatus in arsi et in dativo tertiae declinationis admissi exemplum offert Ecl. III. v. 6.

V. 286. Vix tam arte iunxisset poeta: *crudelis reddite*, si eo, quo Heynius iudicat, modo separanda essent (*o crudelis Minos, iterum mihi reddite*), sensu parum probabili, sed rectissime iungebat Scaliger: *crudelis reddite* i. e. effecte crudelis; cf. exempla a Silligio allata.

V. 295. Qui Silligius gloriari potuerit, se „vestigia codicum presse secutum“ esse, quum quattuor, quibus incipientem facit versum, vocabula *vivere uti cupiam vitae* in nullo codice reperiantur, tertium tantum *cupiam* non nisi in editione Ald. (1517) legatur, merito miraberis. Sed

nescio an magis tibi placeat sententia ab eo constituta, quamvis ipse eam ita comparatam putet, „ut tam grammaticae quam rhetorice neminem offendere possit.“ Equidem non intelligo, qua ratione *ea, quae* cohaereant cum sequentibus. Vulgata autem, in qua unum *illum* quodammodo offendere potest, quum verba minus impedita continet, tum propius accedit ad librorum auctoritatem, qui omnes uno consensu *vivendi copiam*, non *vivere uti cupiam*, praebent inverso ordine.

V. 295. Quod Heinrichus proposuerat *meae senectae* per se non displicet, sed posterior vox codicum auctoritate minime confirmatur, eademque in hac oratione duobus aliis locis v. 287 et 314 redit.

V. 299. Quod olim aegre ferebam, venationem et pastum hoc loco tam arte coniungi, nunc ratione illa, qua Silligius in interpungendo usus est, tollitur.

V. 306. Cod. Basileensem *perisses*, non, ut Heynius refert, *perisset* praebere, Naekii collatio docet.

V. 310 et 311. Unum, in quo offendere poteris, est modus coniunctivi *maneret*, praesertim sequente indicativo v. 312. Quare, si quid mutandum sit, malim cum Heinsio *manebat* restituere, quam cum Silligio *non sic* e notissimo *nobis* inferre. Vulgata enim sententiam optime procedentem praebet: haec tum mihi intolerabilia fuerunt, tum, cum tui spes mihi manebat et vox ista (de amore erga Minoem) nondum meas aures violaverat, nunc autem, quum te quoque fortuna crudelis mihi ademerit, prorsus despero. Sed qui Silligium sequitur, non solum *quam nunc* in fine v. 310 supplere, sed etiam versum 311 parenthetice accipere debet, neque video, qui in ista parenthesi coniunctivus, antecedente *tum*, potius locum habere possit, quam in vulgata. Iam vero si quaeritur, utra sententia maiorem vim habeat, magisque sit poetica, non dubito, quin Scylla, quae iam olim paene se desperasse confiteatur, praestantior videatur, quam ea, quae mortem filiae leviter se tulisse affirmet.

V. 321. Silligius codicum scripturam *quae tenuis patrio prae sit*, quam in contextum recepit, ita explicare studet, ut *quae* pro qualis momenti, *suspensa tenuis* exornandi causa pro simplici ea (purpura?) dictum sit et praepositionis *prae* anastrophe statuat, qualem iam v. 56 in carmen nostrum intulerat. Sed sententia, quam constituit, tam obscura, verborum explicatio tam artificiosa est, ut vix cuiquam probetur. Quare in vulgata acquiescendum esse videtur. Obiter monere iuvat, Heynium parum accurate reddidisse scripturam cod. Basileensis, quam collatio Naekiana sic exhibet: *tenuis patrio pressit*.

V. 325. *Expertum miserae mihi* i. e. quem ego misera experta sum. Sic Aen. IV. 415 *inexpertum* passive usitatum legitur.

V. 326. Silligius ad codicum auctoritatem, quam maxime fieri potuit, accedendo et ingeniosam Scaligeri emendationem *lumina* recipiendo sententiam assecutus est artificiosam quidem, sed si ad concitatum Carmes sermonem respexeris, haud improbandam.

V. 327. Ne vulgata *tam nulla mente*, quam Silligius e codd. revocavit, sine exemplo esse videatur, cf. Plauti cistell. Act. II. sc. 1. v. 5 *ita nullam animi mentem habeo*, quamquam ibi quoque scriptura non satis certa est.

V. 331. Argutior mihi videtur Silligius in *tamen aliquos* offendens, quae verba non, ut ipse censet, *omnibus* opponuntur, imo vero *nullis*. Dicit ergo Carme: si Nisi regnum eversum fuerit, Scylla fortasse in tanto rerum discrimine nullos penates conservare et auferre poterit.

V. 332. Heynius *exilio* „unice verum“ esse putat, sed vulgata *exitio* perbene se habet, dummodo *exitium* in univsum pro *damnum*, *miseria*, *calamitas* accipias, ut Aen. VII. 123. et aliis locis.

V. 335. *ipsa*, quod vir doctus in misc. obss. in *ista* mutare voluit, cum vi quadam dictum puto, ut v. 265, quia ipsa filia in patre talia factura est. Praeterea *cum* non praepositionem esse ad *iure* pertinentem, sed coniunctionem verbo *licebit* iungendam, docet oratio coniunctione *cum*, sequente futuro indicativi, continuata.

V. 337. Exemplis, ut docere *referre* pro *repetere*, *revocare* dici, a Silligio congestis addi potest ex Aen. V. 598.

V. 340. Epitheton *sollicitus* ab animo ad animi „*aestus*“ translatum est.

V. 341. *Pectus aegrum vicerat*, h. e. pectoris s. animi aegritudinem.

V. 347. Miror, Heinsium hoc praecipuo loco in epitheto *morientis* offendisse, quod puellae color, qui est *morientis* instar (v. 225), optime convenit et vv. 182, 267 collatis extra omnem dubitationem ponitur. Praeterea adi Burmannum Sec. ad Propertium p. 180, quem commemoravit Silligius.

V. 350. Bene Silligius e libris restituit *gelida* ad *Oeta* relatum, sed quae e coniectura edit *prae* (quod per typographi vitium, a Forbigeri repetitum, cum *gelida* in unam vocem coaluisse videtur) loco copulae *et*, per tmesin a verbo *veniens* disiunctum, deinde *miseris* pro *mani* aut codicum *mihi*, vereor, ne audacius fecerit. Nam copula *et* cur tantopere offenderit viros doctos, non intelligo, quum quominus iungamus *lux laeta et veniens ab gelida Oeta* nihil impediatur. Neque *miseris* tot verbis a substantivo suo remotum satis placet; sed meliora, quae offeram, non mihi in promptu sunt.

V. 356. Heynius minus accurate reddidit scripturam cod. Basileensis, qui e Naekii collatione praebet: *Laudanturque bonae pacis bona: multus inepto*.

Quum versuum 360 et 361 alterutrum spurium esse olim iudicarem, magis propensus eram ad priorem damnandum, sed nunc cum Silligio facio, qui quum de versu 360 recte restituendo optime meritus est, tum versum 361 ex interpolatoris ingenio profectum esse negare non audeat. Non igitur Forbigeri, utrumque versum leviter proscribenti, assentior.

Obiter attingere licebit exempla, quae Forbigerus ad vv. 370 et 375 e Virgilio attulit, non legi in versibus ab ipso allatis, sed Ecl. II. 11 (pro 13), Aen. III. 386 (pro 586).

V. 375. *Idaeis senibus s. anibus* (utrumque fere eadem auctoritate librorum et edd.) recte explicat Iul. Sabinus de antistitis Cybeles, cuius cultum in Phrygiae montibus cum incantationibus et fanaticis caeremoniis celebratum fuisse scimus, v. Creuzer Mythol. II. p. 45. Simili modo in Aen. IX. 112. *chori Idaei* commemorantur. Neque Heynii dubitationem, quomodo *Idaeis senibus Graii* opponi possint, audiendam esse puto, aut enim *Graii*, imprimis Thessali, Phrygibus opponun-

tur tanquam incolae eius terrae, quae proprie Graecia appellatur, aut, si malis, sic intellige locum: nec cognita Graeis in universum.

Quamquam Silligius sententiam v. 381—383 sic bene enodasse videtur, ut non de Carme sed de Scylla in iis agi statuendum sit, tamen in restituendo altero hemistichio versus 381 non sine audacia quadam versatus est, praesertim eo quod verbum *sociam* sine ullo librorum vestigio in *facinus* mutavit. Ut non facile est ad intelligendum, qui vox *facinus* in *sociam* abire potuerit, ita etiam eiecto hoc posteriore vocabulo nihil restat, ad quod in sequentibus *illa* referatur. Quare, ut propius ad librorum fidem accedam, maxime codicem R, *se iungit* exhibentem, secutus, scribendum ita censeo:

Rursus ad inceptum sociae se iungit alumna

ut *sociae* sit dativus atque illud *rursus*, in quo aliquantisper haerere poteris, ad ea, quae inde a v. 347 enarrata sunt, referatur.

V. 383. Heynii emendatio *tam longo* pro *cum longo*, quod quidem sensu caret, magis placet quam, quod Silligius recepit, *Praelongo*.

V. 384. Ad verba *non minus illa* Forbigerus supplendum putavit: *se cingit*, quod cum Silligio receperat, et *parat*; omnino autem non opus erat verbum, quod subaudiretur, tam longe repetere, sed e proxime antecedentibus *captat succurrere* supplere sufficebat. In altero hemistichio *moenia* sine praepositione constructum, ut nomina propria urbium, suspicionem movere potest, quod nomen ipsum in corrupto vocabulo *crescant* latet, idque felicissima coniectura iam Schraderus enucleavit vocabulo *Cressa* restituto.

V. 386. Quamquam Ovidius ea, quae Virgilius, aliis locis nimium luxurians, singulari brevitate vix uno verbo attigit, multo copiosius ac disertius enarravit, neque colloquium inter Scyllam et Minoem addere repudiavit, tamen vix credere licet, poetam illum, Virgilio iuniorem, respectu huius carminis habito, ea prolixius scribere voluisse, quae a Ciris auctore neglecta erant.

V. 387 *tum* particula eodem modo tres versus coniunxit Catullus LXIII. 19—21.

V. 398 e geminato *Jovis*, quod in eodem versu Ecl. IV. 49 non legitur, colligere possis, totum versum a posteriore manu in carmen nostrum illatum esse, nisi statuere malis, Virgilium talem versum e Ciri sua, de qua edenda non cogitaret, tanquam e penu depromptum, levi correctione in Eclogam illam transtulisse.

Ne versum 410 cum Heynio proscribamus, uno vocabulo *Scylla*, quo aegre careremus, prohibemur.

V. 413. Quam nihil valeant rationes, quibus Silligius artificiosam codicum scripturam, a se contra omnium ad unam editionum auctoritatem receptam, commendare conatus est, magnam partem iam perspexit Forbigerus. Ut taceam elegantias, quas in repetito pronomine relativo et in „antithesi temporis prioris et recentioris“ quaerit, unum urgere placet: exemplis, quae protulit, non demonstravit *curvum terris* dici, sed tantum Hellespontum *curvum* adpellari posse, de quo nemo dubitabit, quamquam ne id quidem exemplis ab eo congestis probari, recte monuit Forbigerus.

V. 427 *iamiam* languere dicit Heynius, sed repetitio huius particulae tam tristi sermoni accommodata est.

V. 441. Quum Silligius longa, quam post Gesnerum de significatione vocis *alumna* instituit, disputatione non id assecutus sit, ut omnes locos, quibus *alumna* activo sensu dictum esse videretur, probabili interpretatione removeret, neque is structuram a se inventam vocis *alma* cum dativo iunctae ullo exemplo probaverit, in vulgata *communis alumna omnibus* omnium librorum et editionum consensu confirmata requiescendum erit. Quod quo lubentius faciamus, monere liceat, activam illius nominis significationem, maxime in vocabulis, ut terra sive terrae partes, usitatam fuisse, quod praeter locum Sillii Ital. IX. 532, ubi *Libya alumna* vocatur, Plinii quoque et Flori loci demonstrant, quorum altero (III. 5) *Italia omnium terrarum alumna*, altero (III. 21) *Ostia Urbis* (Romae) alumna dicitur, quamquam ibi quoque Gesnerus passivam significationem inculcare conatus est.

V. 443. Quam multa obstant, quominus in codicum scriptura a Silligio revocata idoneum sensum inesse agnoscamus, breviter docuit Forbigerus, qui insolitam positionem encliticae *que* attingere supersedit. Quae tandem sunt maximae illae difficultates, quas Silligius in vulgataprehendisse atque recepta codicum lectione sustulisse sibi visus est? Distinguit poeta duo genera servarum s. ancillarum, quorum alterum *comites* adpellat, quia comitatum dominae efficiunt, alterum *ancillas* proprio sensu adpellat, quia inferiore loco positae domesticis servitiis, sive, ut poetae verbis utar *famularum munere* fungantur. Sunt igitur comites quoque ancillarum catervae, quare ab iis distinguit *alias* ancillarum catervas. Tali modo ad redundantiam verborum cum Silligio confugere non necesse est.

V. 455 *solam* Heynius suppleto pronomine *me* ita explicat: „me unam omnium puellarum tantam miseriam experiri“. Forsitan etiam *solam* intelligere possis: *ab omnibus derelictam*. Quod Heinrichius satis quidem ingeniose emendare conatus est: *solem*, hoc sensu: satis sit, quod semel tanta mala viderit Sol, i. e. quod tanta mala semel acciderint, codicum auctoritate nequaquam confirmatur. Neque illud *semel* in contextu omitti potuisse videtur.

V. 457. Iure receperunt editores Scaligeri emendationem *incerto* pro *incepto*, cuius permutationis aliud, quamquam contrarium, exemplum in nostro carmine v. 337 extat, ubi *incepta* in omnibus libris et plurimis vet. editt. in *incerta* abierat, cf. Benth. ad Horat. epod. VII. v. 13.

V. 459. Silligius in adnotationibus se praetulisse *resoluta* vulgatae *revoluta* affirmat, quae nihilominus in ipso contextu remansit. In eundem errorem mirabili incuria incidit Forbigerus, qui vel in altera editione ad *revoluta*, quod in contextu edidit, adnotationem ad defendendum vocabulum *resoluta* adiecit!

V. 466 *exire* variatio verbi *praeterire* in versu antecedenti.

V. 470. Heynius, primus in vulgata huius versus scriptura offensus, quattuor proposuit explicandi rationes, quarum tamen nullam ipse ut certam sequitur. Dicit enim „aut versum ex sequentibus post 476 sqq. retractum et perperam h. l. insertum, aut a mala manu, ut variaret superiorem versum, in margine adpictum, aut *Minoia arva* corrupta esse, aut haec ad Minoam in-

sulam, ante portum Megarorum Nisaeam positam, referenda esse.“ In duabus prioribus rationibus non morandum erit, si probabili modo versus aut explicari aut emendari possit. Neque vero de insula illa parva cogitandum est, quum poeta non omnes, quas Scylla praetervecta sit, insulas enumeret, sed notissimas tantum et clarissimas, neque is, verbis *Minoia arva* eam significasset, quod quicumque legisset, ad Cretam retulisset. Accedit quod parvam hanc insulam iam praeterierat Scylla, quum Athenas conspiceret. Nihil igitur restat, nisi statuamus vocem *Minoia* corruptam esse; nam Cretam hoc loco nullo modo commemorari posse, bene docuit Heynius, idque aperte impediunt ea, quae sequuntur; quin adeo Scylla ne venit quidem in Cretam, sed prius immutata est. Quum vero omnes usque ad Heynium interpretes in hoc *Minoia* non haeserint, facile credas, librariorum talem corruptelam repetere potuisse. Itaque ad emendationem progressus, equidem ante hos undeviginti annos, Heynii vestigia secutus, ex iis, quae offert cod. Helmstadiensis

fluctus alia minos

littera *s* a verbo *fluctus* ad sequens tracta, et *i* e voce *alia* eiecto enucleavi

fluctu Salaminos

idque solemniter occasione oblata contra positionem s. thesin, ut dicunt, a Chr. Lassen, V. D., prolatam publice defendi Naekio et Niebuhrio probantibus. Quae emendatio codice Rehdigerano, postea demum collato, confirmata est, quum is eandem, quam Helmstadiensis, corruptelam exhibeat. *Respicit*, quod e vulgata servavi, ut syllaba antecedens producat, propria significatione accipio pro *retrospicit*, ut Orpheus apud Ovidium Eurydicem suam *respicit*. Scylla enim, quum Piraeum et Athenas conspiceret, iam Salamina praetervecta erat atque e fluctu emergens *procul Salaminos arva* retrospicit. Silligius restituit *suspicit*, e sententia satis quidem commendabile, sed omni auctoritate destitutum. Corruptela *Minoia* ita fortasse orta est, ut *Salaminos* primum abierit in *Salaminia*, quod idem metro accommodatum est, idque in *Minoia*, littera *o* in alteram nominis partem iniecta. — Salamis autem insula erat tam clara, ut eam silentio praeterire poetae vix liceret.

V. 471. Quum *Strophadum* in Ionio mari sitarum locus hic esse non possit: quin *Sporadasque* e cod. Basil. revocandum sit, olim non dubitavi, ita ut poeta primum Cycladas et Sporadas generaliter commemoraverit, dein earum singulas quasdam enumeraverit. Cui emendationi ne nimiam fidem haberem, iam tum me monuit dissensus scriptorum, quorum alii Donusam inter Sporadas, alii inter Cycladas referunt, atque ipse Virgilius Aen. III. 125 eam Cycladibus adnumerare videtur. Nunc vero multo maiorem dubitationem movet id, quod in ceteris codicibus invenitur, *Venus illi*, unde Sillig, Forbigero repugnante, eruere conatus est *Ceus illi*, quamquam *Κέως* ultimam syllabam habet productam, neque *hinc—hinc* ad hanc insulam quadrat. *Venus* potius e vocabulo *Tenos* oriri potuit, sed qui hoc, prima syllaba producta, metro accommodari possit, non video.

V. 472. Quod Heynius suspicatus erat et novissimi editores in contextum receperunt: *Sunion hinc* eo magis nobis probatur, quod tali modo tertium *hinc*, quod propter sequens vocabulum *contra* omnino abundare videbatur, deletur.

V. 477 neque iis assentior, qui Aigiliam insulam facili modo in *Aeginam* corruptam esse iudicaverunt, quum eam nimis a Cycladibus remotam esse, Heynius iam bene perspexerit, neque Silligio concedo, poetam nostrum doctrinae simulandae causa ignotam quandam insulam Aeginam appellatam clarissimae illi cognominem inter alias enumerasse. Quare non dubito, quin librarii notissimum Aeginae nomen pro minus noto temere intulerint, quod certa coniectura vix quisquam assequi poterit. Circumspicienti insulas inter Paron et Seriphon Niebuhrio *Siphnos* in mentem venit, quod tamen metro accommodari nequit, quare equidem de proxima insula *Olearo*, librariis parum nota, cogitavi — ita ut versus initium sit: *Olearonque*. Ne vero prorsus temere talia afferre videar, monere liceat, in descriptione navigationis Aeneae, quae legitur in Aen. III. 124 sqq. inter Cycladas praeter *Delon*, *Paron* et *Donusam*, etiam *Olearon* (hodie Antiparos) insulam commemorari et, ut nostro loco, proxime post Donusam. Quin adeo nihil impedire videtur, quominus alterutrum locum ex alterius imitatione profectum esse statuamus, quo referri potest quum epitheton *viridem*, quo utroque loco *Donusa* exornatur, tum eadem collocatio nominum, *Donusam* sc. in exitu versus, *Olearon* in initio sequentis. Iam Schraderus similitudine utriusque descriptionis animadversa v. 476 cum Aen. III. 125 conferri iusserat. Ceterum notare liceat, Forbigerum Silligii contextum reddentem in fine huius versus plenam interpunctionem retinuisse, quam antecessor sustulerat, ut *allapsa fertur* secum connecterentur, quod mihi displicere non infitior; cur enim, quum cetera tanquam certa narrentur, hoc unum dubium reddere voluit?

V. 481. Quotquot Heynius congescit virorum doctorum emendationes, eas omnes parum probabiles ipse existimavit, neque recentissimi editores meliora invenire potuerunt, quare Heinsii *rexarier ultra* receperunt, ut locus legi quidem posset. Latet fortasse vera scriptura in *Aegos*, quod Iul. Sabinus pro Aegaeo mari positum enotavit; unde exitum versus ita constituere ausim: *rexari Aegaeo*, ut *Aegaeum* pro Aegaeo mari accipiendum sit, ut apud Horat. c. II. 16, 2. Si quem offendat elisio aut spondaicus numerus in quarto et quinto pede simul admissus, conferat, quaeso, versum 474, in Aen. III. 74 redeuntem. Librarii tale aliquid corrigere cupientes corruerunt nomen. Nostrum *Aegaeo* tot litteras habet, quot editionum scriptura *aegros* sensu prorsus carens.

V. 484 neque ego cum Heynio, e codice Basil. *et rigidis* praeferente, facio, in quo *et* copula inepta est, quum particula adversativa, quam dicunt, tantum expectetur. Adscripsit fortasse interpres quidam hoc epitheton ad *squamis*, quod postea in contextum irrepsit, cuique, ut metro consuleretur, addita est copula *et*.

V. 506. Quum codices R et H saepissime in manifestis corruptelis congruant, nimium eorum auctoritati tribuit Silligius, qui hoc loco, ubi duo illi nisi in voce *pellem* non prorsus consentiunt, vulgatam ipsi per se probatam tentare et structuram *obducere aliquid aliquam rem*, quae ne speciem quidem veritatis habet, in contextum recipere ausus est. Tales argutias, quamquam Forbigerus tacitus consentire videtur, pluribus refellere taedet.

V. 508—512 non cum Heynio interpolatori sed poetae ubertati tribuendi sunt. Ante eam, quae v. 507 finita est, de metamorphosi narrationem, dixerat poeta v. 483, Amphitriten Scyllae,

cuius miserita esset, formam mutasse, quam postea puellae melius et dea dignius auxilium praebere potuisse iudicat.

V. 512 vulgatam *flavo* tuetur Catulli locus LXIV. 63, ad cuius exemplum versus noster adumbratus esse videtur. Quo loco comparato dubitari nequit, quin vertex epitheton a crinium colore repetitum accipere possit, quod Silligium negavisse miror. Neque verisimile est, hanc solum, sive hanc potissimum corporis partem „salvam“ adpellari.

In v. 513 inest quaedam orationis gradatio: nullus thalamus eam recepit, ne ullae quidem sedes sc. humanae, quippe aëre ferebatur, quare scriptor, ut se ipsum quasi corrigat, dicit: *quid enim cum sedibus illi* sc. commune est? Huic enim Heinsii coniecturae, iam olim mihi probabili, nunc e novis Silligii subsidiis nova accessit fides. Optime cohaerent cum hoc loco versus 518 et 519, ubi rupes, scopuli, litora deserta hominum sedibus opponuntur.

Heynium, versum 519 nulla ratione addita proscribentem, forte offenderat repetitio vocabuli *rupibus*. Sed tales repetitiones interdum vel apud poetas accuratissime scribentes inveniuntur, ut apud Catull. epithal. 132, apud Horat. c. III. 11, 30 et 31. Prorsus simile exemplum, ut verbum quoddam repetatur sequentis versus annectendi causa, legitur in Culice v. 123 et 124

quas impia totos,

Impia, quae.

V. 521. Facillimum erat Iovem epitheto, integrum versum explente, ornare, sed vetus poeta tale non sine respectu huius fabulae elegisset. Expectatur enim potius adiectum de iustitia Iovis quam de eius potentia repetitum. Ceterum *omnia millia* sq. genitivo iam supra v. 248 legimus.

V. 523. Silligius *dum* reponendum putat, quod *cum* minus huic loco conveniat, sed *quum* s. *cum* in enunciatis contraria referentibus, respondens nostro *wāhrend*, usitatum esse iam docuit Zumptius §. 577 in fine.

V. 524. Quum hoc loco magis epitheton sanguinis exspectes quam taurorum, vulgatam *te-penti*, cuius non minor est auctoritas, quam Silligii *nitentum* (pro nitentium) non temere reiicias. Locus Aen. III. 20., quo Heynius usus est, ut *nitentum* commendaret, a nostro ita differt, ut sanguinis ibi nulla mentio fiat.

V. 529 *deus coruscus* qui tantopere offendit Heynium, ut is totum versum ab interpolatore insitum existimaret, est deus fulgarans, qui *gaudet aquilis*, quarum genus quoddam est haliaetus, quippe fulmen eius gerentibus. Omnis dubitatio autem remota est a Forbigero loco Georg. I. 328 *corusca Iovis dextra* comparato.